DE ORIGINE MONTIUM PHILOSOPHICA DISQUISITIO PRIMA AUCTORE P. THOMA GABRINI...

Tommaso Maria Gabrini, Hieronymo De Angelis



[illegible]



EMINENTISSIME AC REVERENDISSIME PRINCEPS.



Imidium operis obtinere qui bene cœpit, omnibus notum est. Neminem tamen bene incœpisse censemus, nisi qui ab Jove, idest, ab aliquo magni nominis PRINCIPE *exordium sumpserit. Tibi ergo prima hæc de origine montium diatriba erat dicanda, cujus laus nomenque ubique gentium adeo fulget; ut quis maxime potens habeatur, si tanquam ex genere pronunscietur Burghesiano. Ex hac celeber-*

tima nobilissimaque familia si Pontifices maximos assumptos quærimus? Pontifices maximos habemus. Pauli namque V. sic in ore omnium inclyta versantur gesta, ut in præsentiarum adhuc naviculam Petri regere videatur. Si Proreges inquirimur? Proreges in regno Neapolitano habemus. Si Regum expetimus Legatos? Legati pro Catholico imperio sunt. Si sanctitatis pietatisque exempla? Ista omni tempore reperientur. Sed quid memoro atavos ac Genitorem? In te splendor decusque fortius emicat, qui peradolescens adhuc ætate Præfectus aulæ Apostolicæ tanta integritate ac prudentia difficillimis temporibus illi provinciæ præfuisti ut a Venerabili ac Sanctissimo BENEDICTO XIII. virorum æquo existimatore, Cardinalatus purpura fueris insignitus. Inde Bavariæ Germanici Regni ac Imperii Protector effectus, tanta cum laude honorem illum sustinuisti, nunc in Albanensi diœcesi tanta pietate refulges, ut omnes probe intelligant, nihil esse tam sanctum, nihil tam arduum, atque difficile, quod fidei tuæ committi non possit, aut etiam debeat. Quid, quod animus tuus sapientiæ studio ita semper flagravit, ut mirum in modum humanissime fovere complectique soles, qui ad eam comparandam sese consulerunt. Quæ quidem dum mecum ipse perpendo, in eam spem facile inducor, a te cætera qua soles benevolentia, insignique propemodum humanitate, munusculum istud acceptum iri; atque animum mihi adjiciendum, ut alacriter opus inceptum prosequar, evolvam, atque perficiam.

DE MONTIUM
ORIGINE.

Philosophica disquisitio prima.

I. 

Ontium originis perscrutationem non desunt qui inutilem prorsus futilemque existiment: ea ducti persuasione, melius esse quædam phænomena adhuc a cognitione humana fugientia inquirere. Ast falluntur hi, vel alios decipere velis remisque contendunt: siquidem pulcherrima naturæ historiæ pars ignoratur ibi, ubi quænam productio montium primæva fuerit sub ignorantiæ tenebris manet involutum. Itaque mons, seu collis nullam aliam in philosophi mentem ideam inducere valet, quam inæqualitatis in terraqueo globo positæ. Burnetus phantastice opinatus est inæqualitates istas tanquam apertissima atque feralia signa telluris universali alluvione deformatæ, & cui antediluvianis temporibus deliciis affluenti superficies erat orbicularis atque perpolita. Wodvardus primordiis rerum montes extitisse haud difficulter cognoscit: verum enthusiasmo quodam adductus universali Noetico cataclysmo terram cum inæqualitatibus suis contritam, liquefactam, atque in aquarum naturam conversam contendit.

II. Verum enim vero quantum Burnetus, Elmontius, quibus præluxit acutissimus Patricius, solemniter meridiana luce cæcutiant, facile intelliget quicunque ad pulchritudinem ordinis, quam ob suam varietatem montes collesque cum planitiebus in hanc rerum universitatem inducunt, ad vegetabilium, mineralium, metallorum copiosam diversitatem, quæ montibus deficientibus nequaquam esset, animum sedulo convertet. Utilitas quoque montium maxima

 est.

est. Ipsorum catenæ orientalem, atque septentrionalem perennem flatum coercent. Ventorum rabiem detinent, aeris salubritatem, diversa climata inducunt. Oceani aquas in propriis detinent alveis, fontium fluviorumque conservant propaginem. Neque declivium a polis ad æquatorem quidquam conferret, cum particularium entium respectu tanquam planities se haberat. Notum est quoque montium juga necessaria ad impediendam vaporum evagationem, qui relictis absque pluvia regionibus calidis polos versus pergerent; ad condensandas exhalationes in nubes, ut sic quasi per externam distillationem, fontium, & aliquorum fluminum originem, aliorum conservationam, vel augumentum præbeant; adeo ut montes, adinstar fere alembicorum opercula, vapores coadunando, & in pluvias, vel pruinas vertendo, calidas zonæ torridæ plagas reddunt habitabiles.

III. Mathesis ipsa infallibile donat argumentum. Etenim constat extra geometrarum mentem corpus nullum existere prominentiis atque exterioribus orbatum inæqualitatibus. Id omnes fatentur, qui microscopiis in quolibet corpore etiam perpolito elevationes prospiciunt. Sane respectu totius globi montes sunt rugæ ita minimæ, ut proportionaliter ad ipsum se habeant, ut elevationes aliæ in quibuscunque aliis corporibus. Dicatur juxta Archimedis computum terrestris diameter $= D$ & peripheria $= G$ erit $G = \frac{22d}{7G}$ & $D = \frac{7G}{22d}$. Montes autem excelsiores, cum tridui, vel quatridui ascendantur, ad maximum plerumque sunt, ut tria milliaria, idest ut 3. ad 22000.; in hac proportione nonne montes ad massam ita sunt proportionales, ut monticuli in ceteris corporibus? validissimum addit momentum analogia, qua astronomi primam telluris formationem cum tuberositatibus admirantur: eo quia ceteri planetæ suos habent montes, & valles, unde multi ex veteribus, ac præsertim Heraclides, & Pithagorai censebant ἑκαστον τῶν ἀστερων Κοσμον ὑπαρχειν γην περιεχοντα. αερα τε, και αιθερα. Sed quid plura? microcosmon inter & geocosmon si ulla admittenda similitudo, quemadmodum in illo, sic & in isto

ſto erunt exuberantiæ: ut in anatomia eleganter Lucius Anderlinius pronunciavit. Acute ab Ariſtoteles dictum montes nullatenus ſphæricam globi faciem deturpare: quemadmodum rota aliqua nuncupatur rotunda, etſi dentes habeat. Ex hactenus dictis opinio quoque refellitur noſtri Raphaelis Averſa, qui terram aſſeruit perfecte rotundam creatam; tertia vero die creationis, ad formandum Oceani canale, montes valleſque productas. Noſtro huic auctori objicere adhuc poſſem incertum eſſe, num montes habeant æqualem maſſam cum Oceani cavitatibus.

IV. Hiſce non obſtantibus, non deſunt qui veterum poetarum figmenta ab Orco tanquam excitantes; divino Numini conſentaneum magiſque proprium tellurem abſque exuberantiis produxiſſe, jactirent. Præſertim quia terraqueus globus in ſtatu cœnoſo ac fluido poſitus, depoſitiones undequaque efficiens æquales, in abyſſis cunctas recepit aquas. Quare in Geneſi montium reticetur productio, in Pſalmis legitur, *qui firmavit terram ſuper aquas, ſuper maria fundavit eam*. Unde maria non aderant, flumina quædam universum irrigabant globum, cujus motus adeo ordinatus erat, ut planetarum princeps non per obliquam incedere zonam, ſed per æquatorem videbatur. Sane torrida, quæ dicitur plaga, inhabitabilis erat, duæ tamen temperatæ perpetuo fruebantur vere, in frigidis autumnus regnabat ſemper, & frigidæ aliquando decidebant pruinæ. Generatim tamen iris, nubes, pluviæ, tonitrua, grando, quæ nunc juſtitiæ Dei verbum faciunt, omnino ignorabantur: ariſtæ, botrique ſponte ſua flavebant: eadem in arbore flores, matura atque imatura ſimul cernebantur poma: infelix auſter, rabidus aquilo, ceterique furibundi flatus aſſidue ſpirantibus eteſiis, inania erant vocabula: morbi ferales longe aberant; ad decrepitam uſque ætatem unoquoque facile deveniente. His tantiſque deliciis cum nefarie abuteretur humanum genus Omnipotentis concitaverunt juſtitiam. Quapropter fracto telluris cortice, rupti ſunt fontes abyſſi magnæ, & terra intra ſeipſam cadens, habitantes deglutivit ſuos. Aquæ undique irrumpentes Oceani canale ceteroſque

maris tractus, insulas, montes, collesque, ac totam denique, quam cernimus, irregularem globi faciem, efformarunt.

V. Hæc firma remanent juxta mathematicorum observationes. Observatum enim fuit octo Oceanos non satis futuros fuisse ad totum terraqueum implendum globum, si revera antediluvianis temporibus montium extitissent juga. Quod vero mirum in modum Burneti firmat systema, deductio est ex nobilissima observatione Louville. Hic 1714. Massiliam petit, & invenit angulum efformatum ab axe æquatoris, & ab axe eclipticæ, 20. minutorum minorem illo esse, quem 2000. annos ante fixerat Piteas. Unde sequitur axem terræ, dum supra eclipticæ planum elevatur, 6000. annorum cursu viciniorem evadere per integrum gradum. Sequitur adhuc solem ab initio in æquatore stetisse, aut saltem per multa secula parum ab isto discessisse; dies noctesque anni tempestates undique fuisse æquales. Consectarium quoque est fatali alluvionis infortunio, sol qui videbatur non adhuc per 20. minuta ab æquatore procul, apparuit ita in positione obliqua, ut ab axe zodiaci, & ab axe æquatoris angulus fere esset 22. graduum: spatium Divino nutu precursum, ut mortalibus auferrentur deliciæ, & acerbas inæqualitates anni tempestatum tollerare cogerentur. Et nunc ut terra ad pristinum redeat statum, in quo fuit creata, non minus quam 142000. anni exiguntur.

VI. Audivimus Romanense systema, audiamus modo quid de ipso dicendum. Ex supradictis constar, melius ac perfectius apparuisse, juxta naturæ, quas videmus, leges, sapientiam, atque omnipotentiam Dei creando terram cum montibus, per quos varietas ordinis, multorum vegetabilium, & aliorum habetur conservatio. Falsum omnino est loquendo de rebus corporeis, perfectionem desumi ab unitate & simplicitate, bene vero ex numero, & attributorum elegantia. Observamus quoque terram non fuisse ita immixtam cum aqua, ut ex utraque unum constitueretur: terra quippe utpote gravior in fundo jacebat, & circumdabatur ab aquis: *& tenebræ erant super faciem abyssi*, idest, juxta D. Augustini interpretationem, aquæ tegebant terram. Clarissi-

rissimis verbis id exprimitur in sacro generationum volumine, quando refertur prima creationis die Spiritum Dei super aquas deferri. Si spiritus Dei super aquas, non super cœnum ferebatur; ergo aquæ circumdederunt tellurem, neque omnino fuerunt immixtæ. Quare vix tellus sub initio, juxta gravitatis leges, in fundum descendit, & cœnosa non quoad massam, sed quoad solam superficiem facta, inæqualitates habuit. Nam in magno corpore terræ depositiones æquales, quæ nec in minimis contingunt corporibus, evenire nequiverunt. Nec status cœnosus inæqualitates excludit, cum in sinu maris arenosi, petrosi, & argillosi reperiantur montes. Tum etiam quia, humiditate tunc exterius posita, ignes subterranei majorem vim habuerunt ad excitandas in globo exuberantias. Sicut nunc in partibus vicinioribus polo, ubi magis fæviunt frigora, passim montes collesque reperiuntur. Defendunt etiam saniores philosophi quando ubique diluviano tempore dominabantur aquæ, montes non fuisse contritos.

VII. Facile nunc est rationem reddere de modo, quo contigit diluvium; unde tot aquæ venerunt, quo tandem abierunt. Abunde constat prima, & secunda creationis die tellurem undique inundatam, tertia vero die, ut appareret arida, multas aquas in abyssis reclusas, communicationem cum illis servando quæ partem aliquam terrestris superficiei tenuerunt: alias tandem in vapores exhalasse: adeo ut expansum hoc aereum aquas ab aquis diviserit. Accidit ergo diluvium, cum iterum aquæ, quæ in sublime, ut exhalationes evolaverant, condensatæ redierunt super terram, & quæ in abyssis reclusæ denuo superficiem globi occupaverunt. Pacata divini Numinis ira, aquæ, sicut die tertia creationis, exhalaverunt partim, partimque abyssos revisere. Hac in re adnotandum remanet, in diluvio aquas quindecim tantum cubitos excelsiores superasse montes; quia licet ab initio ipsi extitissent, numerus tamen eorum auctus fuerat, quando nempe ut videretur terra, pluribus in locis globus in interiori fuit excavatus ad formandas abyssos, aquarum receptacula, quæ probabiliter perennium fontium primam

do-

ducant originem, auctam plerumque ab imbribus, nivibus, & pruinis.

VIII. Silentium in Genesi de creatione montium eo modo se habet quo de terræ rotunditate, ignis existentia, & de similibus, quæ tamen ob eorum necessitatem intelliguntur, reticentia. Utique montes occasione diluvii primo memorantur; sed non producti, operti dicuntur. Expressiones illæ, *firmavit terram super aquas*, *super maria fundavit eam*, verissimæ sunt, eo quod aqua fere gluten terreas particulas constringit, & retinet, mutuam attractionem exercens. Marina salia si in terra ad inficiandas plantas mansissent, mare evasisset dulce. Demus salia mansisse, jam ad hæc tempora evolassent; quare terra, plantæ, & fructus pristinam nunc haberent virtutem. Nugæ sunt, quæ de primævis temporibus felicitates narrantur. Jam post lapsum in culpam impositum fuerat hominibus, vesci panem eum sudoribus: tribuli ac spinæ jam existebant; longævitas hominum specialis fuit Dei providentia ob celerem propagationem humani generis. Ceterum anni tempestates eædem tunc erant ac modo sunt; naturæ leges ab initio usque ad seculorum finem erunt constantes: sol nunquam per æquatorem viam sibi adaperuit, sed per eclipticam semper incessit. Ingeniosa ergo, sed falsa prorsus est equitis Louville supputatio. Fas mihi sic ratiocinari: Sole aliquando per æquatorem iter facturo, in zonis, quæ temperatæ vocantur, assiduum erit ver; in frigidis perpetuus autumnus: quapropter hyems, ver, æstas, & autumnus vices non amplius dabunt annis. Ast hoc repugnat omnino litteris sacris, ubi Dei extat promissio de perpetua illorum per annum vicissitudine. Adversatur naturæ legibus, juxta quas plantæ nonnullæ frigore gaudent, aliæ sub æstivo climate, aliæ in temperato vigent, & dum alienum solum adsportantur, quam plurimæ vel languent, vel ad maturitatem non perveniunt, vel quidquam de sua deperdunt virtute. Rationem non sequitur, cujus judicio mundus in talibus constitutus vicibus, adeo nobilis est, ut non desint plures, qui asserant, meliorem fieri non posse. Falso etiam supponit Piteæ obser-

ſervationem exactam fuiſſe. Quem fugit, veteres omnes ſubſidiis multis pro his rebus caruiſſe? Recentiores ipſi Thicon Brahe, cl. Caſſinus, aliique quamvis doctiſſimi ac ſolertiſſimi, quacunque adhibita diligentia, in meridiani determinatione ſunt decepti, facile eſt, aliquam omittere differentiam, quæ poteſt eſſe inter puncta, in quibus revera Sol æquinoctia, & ſolſtitia ſignat. Quis ergo credet equitem Louville obliquitatis diminutionem certo inveniſſe? Audacter dico perdifficile, imo impoſſibile eſſe poli altitudinem certo infallibiliter determinare. Refractionum polaris aſtri mutatio, quæ eruitur ex differentia altitudinis poli, inventa Londini, Amſtelodami, aliiſque urbibus: aer, qui pro temporum diverſitate magis aut minus diaphanus eſt: dubium an propinquitas eclipticæ ad æquatorem realis ſit, an apparens, & ex quo procedat: probabilitas de alternante motu telluris, unde angulus interſectionis eclipticæ, & æquinoctialis cum in æquinoctiis ſit, E. G. 23. grad. 29. minut. contrahitor ſolſtitia verſus pergens, & dilatatur æquinoctia petens; ita ut in ſolſtitiis angulus ad minimum ſit 23. grad. & 29. minut. minus ſecundo aliquo; his adde trementes halitus in athmoſphæra poſitos, oculorum imbecillitatem, qualitatem vitrorum, iſtrumentorum imperfectionem, quibus addenda eſt planetarum, fixarumque præſertim infinita quaſi diſtantia; variabilis forſan ſiderum athmoſphæra; aſſidua exhalationum ac effluviorum copia jugiter a cæleſtibus manans corporibus; irregularis motus terræ in ellypſi, quam maxime inordinata, ob actionem, qua ſuper illam agit lunare corpus; periodus 26000. annorum aſsignata pro termino motus telluris. Omnia hæc falſa dum oſtendunt Louville computum, fabuloſam declarant Burneti opinionem, & inanem quoque evincunt Galilei hypotheſim, dum vult Deum tempore diluvii mutaſſe terræ poſitionem, inclinando ejus axem 23. gradus ſeptentrionem verſus, & ſic diverſa anni tempora inducta fuiſſe.

IX. Quodnam feremus de Wodvardi ſyſtemate judicium? pro ipſo Divina oracula rationes, obſervationeſque ſtare videntur. *Liquefacta eſt terra; & omnes qui habitant in ea*, pſ.

74.

74. *Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini, & omnis terra*, ps. 96. *Ille tunc mundus aquis inundatus periit*, s. Petrus Ep. 2. c. 3. & adeo periit ut in aquarum naturam, juxta Philonem, conversus videretur. Quis enim attento animo perpendens horribiles illas ob particulares illuvies terrenæ superficiei mutationes, ut

Quæque fuit campus, vallem decursus aquarum
Fecit, & illuvie mons est deductus in æquor,

sibi vel aliis serio inde valebit persuadere in immani illo ac universali diluvio, quando fontes abyssi magnæ rupti fuerunt, & cæli cataractæ apertæ sunt, montes immobiles præcipitem aquarum decursum, & impetum sustinuisse? ostreæ, conchylia, pisces, zoophyta & cetera marina corpora, quæ modo in cacuminibus in superficiebus infra viscera montium reperiuntur, rem adeo illustrant, terræ scilicet liquefactionem, ut nulla prorsus alia possit adduci causa, cur infra montes zoophyta pisces recepta sint, nisi inepte similia corpora naturæ lusus esse dicantur. Nonne forsan humani generi probra inauditaque scelera id mærebantur? Quemadmodum ergo inæqualitates terrenæ antediluvianis temporibus statuuntur, ita & initio diluvii destructas, sub finem vero iterum jussu pacati Numinis formatas eodem, quem prius obtinuerunt, situ: semina, metallicas ac minerales particulas pristinum redisse locum, erit dicendum. Hæc sunt quæ pro Wod. adduci solent.

X. Meum consilium non est veritates una cum illusionibus admiscere. Ea de re observo nemini dubium esse montes aliquos in immani ac præcipiti aquarum decursu contritos, alios ex materiarum depositione efformatos. Hujus veritatis argumentum sunt arenosi montes, ligna, quæ fossilia dicuntur, & marina corpora infra terram, in locis etiam a mari plurimum dissitis, reperta. Neque inficias ibo, nisi chymicis experimentis de medio sublatis, conchas montanas, cetera fossilia, plerumque lusus non posse dici naturæ. An vero omnia testacea & similia diluvii tempore infra tellurem venerint, ad trutinam alia disquisitione revocaturus; ubi quoque de Aristotelis fabagine, de testaceis in fontibus in-

infra montes degentibus breviter differam. Veruntamen dum in procellosi Oceani medio insulas immotas conspicio, dum lego, infra mare apud Puteolos, & Bataviam aliaque loca ædificiorum reliquias, turrium cacumina adhuc monstrari in signum aliquarum alluvionum, quarum impetu submersi nonnulli pagi, atque fuere occupati: falsum tunc reputo, saxea montium juga, præ altitudine cum cælo præ duritie cum æternitate, ut ita dicam, pugnantia, generali inundatione fuisse contrita. Observo vitrioli, aluminis, salis permanere fodinas, quæ sane non essent, si montium admitteretur destructio. Nec quidquam prodest asserere fodinas præsertim salis vel esse maris depositiones, antequam in alveos rediret, vel per subterraneos cuniculos tractu temporis eo ascendisse: liquido namque constat qua transeunt aquæ metallicas, salinas, fossilesque particulas secum adducere; neque cribrum aut filtrum est aliquod talem attractionem impediens. Quapropter aut falsum diluvianas aquas in montium viscera penetrasse, aut diuturnis renunciandum observationibus. Admittamus aquam maris per somniatos cuniculos infra montes ascendere, quid inde? forsan ibi exsiccata deponit sal? credant hoc qui in pinacothecis tantum naturæ perscrutantur arcana. Videmus non ubique, & incertis in locis fodinas. Cernimus mare, dum recedit, arenæ, non salis relinquere cumulos: patet non in cavernis, verum aere aperto æstivis diebus, dum virtute Solis bitumen cum exiguis salibus evolat, undas gravius relinquere sal: observatum fuit doctissimo Marsilio de strato in stratum sal ac bitumeo ex montibus in mare descendere, non e converso. Fodinæ ergo si nunquam corruerunt, steterunt, & montes.

XI. Ultimum quod adduot, fodinas nempe in determinatis, licet fuerit tellus liquefacta, reperiri locis, eo quia unaquæque particula unumquodque semen pristinum locum petiit, valde arbitrarium est. Cur, amabo vos, tot pisces, tot conchylia, quæ anima donantur, impetum non senserunt naturæ, si inanimatæ particulæ illum audierunt? Neminem latet facilius marina corpora, quando aquæ paulatim de-

cre-

crescebant antiqua invisere domicilia potuisse, quam semina & surcula, huc illucque dispersa, climata sibi propria repetere. Historia sacra, cui etiam valde fidunt adversarii, mirifice quæ recenter dixi confirmat. Narrat quod operti sunt omnes montes sub universo cælo, neque destructionis illorum judicium præbet; imo addendo quod *arca ferebatur super aquas*, & inde stetit supra Ararat Armeniæ montem, excludit globi liquefactionem. Alias arca non super aquas innatasset, sed in cœno stetisset, neque tam cito mons nuperrime formatus, tam duritiei valuit adipisci, ut arcam sustinuerit.

XII. Quando autem dicitur liquefacta terra, fluxi montes cum omni terra, loquitur ibi de universali judicio, ut legentibus adductos psalmos fit manifestum. Demus tamen sermonem institutum de Noetico cataclysmo, apparet locutionem, licet cum universali clausula enfaticam esse, relativam ad aliquos montes, & terrenam superficiem, non ad omnes & ad totam massam. Additur enim: *confirmavi columnas ejus*; nempe montium juga ab oriente plerumque occidentem versus pergentia. Ex quo rupti dicantur abyssi fontes, solum habemus in aquarum exitu a subterraneis plagis, terram concussam, hiatus aliquos factos, iterum tamen occlusos, cum legatur *clausi sunt fontes abyssi*. Ad paritatem ex epistola divi Petri observo, mundi vocabulo per metonymiam mundanos venire. Deinde cum impossibile sit corpus inveniri physicum absque inæqualitatibus, hinc fit, etiam quando per ignem omnia renovabuntur, montes non posse comminui omnes; dummodo præsentes naturæ leges perseverent: de quo valde dubito, cum pluries legatur, *erunt cæli novi & terra nova*. Tandem paritas currit ea proportione qua potest, scilicet, quemadmodum per aquas modulo suo globus mundatus; ita per ignem modo quoque suo mundabitur; non quod effectus individuales, sed specifici iidem debeant esse. Particulares alluviones, conchæque montanæ evincunt valles alias in generali alluvie oppletas, montes aliquos attritos, eorumque loco cavitates, vel lacus efformatos. Hac in re si auctorum dicta quidquam valerent, profecto numerus & doctrina major erit dicentium, montes saltem ali-

quos

quos in diluvio stetisse. Porro si terra fuisset liquefacta cum aquis, ad quid pluvia de cœlo? Si plantæ omnes confractæ, & evulsæ, & post aquarum recessum nasci cœpissent, unde columba olivæ ramum desumpsit? Si nationum consensus quodammodo naturæ censetur vox, Jam inepta utraque Burneti, & Wodvardi systemata. Cum Persæ, & Indi, ut refert Ebn Shohnah; Chaldæi apud Berosum; Egyptii apud Platonem in Timæo; Heliopolitani apud Luc. de Dea Syria; Americani apud J. de Laet de orig. Gent. Americ., Sinenses, aliæque nationes, plerosque, quos modo cernimus montes, in primæva tellure extitisse acriter defendant.

XIII. Quodammodo pudet ineptas quorundam refellere opiniones, qui montes depressos ajunt, profunditates Oceani elevatas diluvii tempore; vel montes, quos incolimus in mari 1656. an. fuisse, mare nunc esse ubi prius homines erant, vel mutato gravitatis centro aquas huc illucque decurrisse, montibus e situ deturbatis, vel per appulsum cometæ disrupta tellure, parva maria (quæ ubique sparsa finguntur) alveos commutasse, unde montes, præsertim in quibus conchæ reperiuntur marinæ, apparuisse. Verum hæc omnia arbitria sunt, minimam illius deformationis adducunt necessitatem, pluvias in diluvio superfluas declarant, diluvium velint nolint particulare adstruunt. Siquidem super omnes montes non stetissent aquæ: cum Atlanticum, ac Pacificum mare prementia abyssum impetu quodam cum omnibus aquis nostrum inundassent emisphærium, oppositas plagas in sicco relinquentia usque quo Deus gravitatis centrum in pristinum restituisset. Seneca cum plurimis aquarum, & ignis varia excogitavit diluvia, montium tamen omnium neque depressionem inopinatam, neque destructionem prædicavit. Melius quoque vanitatem expositarum suppositionum ex sacra Genesi evincimus, juxta quam universalem alluviem non inopinato scimus contigisse, verum paulatim 40. diebus; ejusque diminutionem notabiliori tempore factam. Si aquæ ob mutatum gravitatis centrum superius venissent, jam 1620. secundis integrum spatium peragrassent. Fuerit centrum gravitatis propa nostram superficiem positum etiam in fine diametri, erit distantia centri, respectu inferiorum

 æquo-

æquorum duplicata, scilicet pedes $19615600 + 19615600 = 39231200$, spatia, quæ a mobili sunt præcursa, juxta seriem numerorum imparium accelerantur. Itaque ore $\frac{1}{4}$ 12150000; $\frac{1}{2}$ 48600000, quod nimis abundat. Quare sumptæ velocitates 1620 secund., idest 27. minut. prim. habebimus $48600000. - 9234000 = 39231200 + 134800. = 39366000$: qui pedes sunt pro integra diametro, pro retardatione, quæ potuit esse in aquarum decursu, & pro elevatione earum supra excelsiores montes. Sic quoque 27. minut. $- \frac{1}{60}$ aliquo inundatio cessasset. Risum temperare non valeo, dum terræ corticem fractum, rupes formatas, globum inundatum, per appulsum andio cometæ. Luna namque telluris satelles est. Inter utramque cælestis alterius globi transitus nequit collocari, ni attractionis ac gravitatis perturbentur leges. Admitto cum Wolfio præter ordinem eclypsim Lunæ secul. xv. factam ob caudam cometæ alicujus complicatam circa lunare corpus. Quoniam diluvium neque minimum tunc accidit, signum habemus vanitatis Wisthoni. Demus cometam sub Luna, absque eo quod hæc in illam ruerit, terram prope transiisse; jam ignis non aquæ excitasset diluvium, quia cometa illa ait Wisthonus eadem fuit, quæ apparuit nuper an. 1680. quo anno facile cum Newtono scimus illam bis mille calidiorem ferro ignitu, ac 10800000. annos prærequiri, si tantum telluri in massa æqualis fit, ut frigescat. Demus quoque diluvium aquæ a cometa productum, cur neque aliud post tot secula produxerit? Juxta Wisthonum cometa illa 575. an. suam parabolicam complet semitam, & $1725 - 69 = 1656$ sub finem tertiæ revolutionis originem dedit illuviei; quapropter post idem vel simile tempus aliam producere tenebatur, cum perpetuus, & constans ne dum telluris, verum etiam cometarum sit motus. Adducere Deum cometæ semitam immutasse, desipere est, ac præter expectationem (ut dicebant veteres) Jovem in scenam vocare. Remanet igitur a Wisthono, a Prime, & a Pluch Flacci monitum non fuisse observatum, quod

Ficta voluptatis causa sint proxima veris.

FINIS.